

COR. CELSI
LIBER. QVARTVS.

De humani corporis interioribus sedibus.

C A P. I.



Actenus reperiuntur ea genera morborum, quæ in totis corporibus ita sunt, vt ijs certæ sedes assignari non possint. Nunc de his dicam, quæ sunt in partibus. Facilius autem omnium interiorum morbi, curationesq; in noticiam venient, si prius eorum sedes breuiter ostendero. Caput igitur, eaque, quæ in ore sunt, non lingua tantummodo, palatoq; terminatur, sed etiam quatenus oculis nostris exposita sunt. In dextra, sinistraq; circa guttur venæ grandes, quæ *σφαγιτιδες* nominantur, itemq; arteriæ, quas *πρωτιδαι* vocant, sursum procedentes vltra aures feruntur. atq; in ipsis ceruicibus glandulæ posite sunt, quæ interdum cum dolore intumescunt. Deinde duo itinera incipiunt. Alterū asperam arteriam nominat. alterum stomachū. arteria exterior ad pulmonē, stomachus interior ad ventriculum fertur. illa spiritū, hic cibū recipit, a quibus cum diuersæ viæ sint, qua coeunt exigua in arteria sub ipsis faucibus lingua est. quæ cum spiramns, attollitur, cum cibum, potionemque assumimus, arteriam claudit. Ipsa autem arteria dura, & cartilaginosa in gutture assurgit, cæteris partibus residet. Constat ex circulis quibusdam compositis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in spina sunt, ita tamen, vt ex parte exteriori aspera, ex interiori stomachi modo leuis sit. eaq; descendens ad præcordia, cū pulmone committitur. Is spongiosus,

ideoque spiritus capax, & à tergo spinæ ipsi iunctus in duas fibras vngulæ bubulæ modo diuiditur. huic cor annexum est natura musculosum, in pectore sub sinisteriore mâma situm, duosq; quasi ventriculos habet. at sub corde, atque pulmone transuersum, ex valida membrana septum est, quod à præcordiis vterû diducit æque neruosum. Multis etiam venis per id discurrentibus à superiore parte non solum intestina, sed iecur quoque, lienemque discernit. Hæc viscera proxima, sed infra tamen posita dextra, sinistraque sunt. Iecur à dextra parte sub præcordiis ab ipso septo ortum intrinsecus cauum, extrinsecus gibbum, quod prominens leuiter vetriculo insidet, & in quattuor fibras diuiditur. Ex inferiore vero parte ei fel inhæret. at lienis sinistra non eidem septo, sed intestino innexus est, natura mollis, & rarus longitudinis, crassitudinisque modicæ, isq; paulum à coltarum regione in vterum excedens, ex maxima parte sub his conditur. atque hæc quidem iuncta sunt. Reñes vero diuersi, qui lumbis sub imis costis inhærent à parte earum resimi, ab altera rotundi, qui & venosi sunt, & ventriculos habent, & tunicis super contiguntur, ac viscerum quidem hæ sedes sunt. Stomachus vero qui intestinorû principium est, neruosus à septimæ spinæ vertebra incipit, ac circa præcordia cum ventriculo cõmittitur. Ventriculus autem qui receptaculum cibi est, constat ex duobus tergoribus. isq; inter lienē, & iecur positus est, vtroq; ex his paulum super eum ingrediente. Suntque etiam membranulæ tenues, per quas inter se omnia ista connectuntur, iungunturque ei septo. quod transuersum esse supra posui. Inde ima ventriculi pars paulum in dexteriores partem conuersa, in summum intestinum coartatur. Hanc iuncturam *πύλουρον* Græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes ea, quæ excreturi sumus, emittit. Ab ea ieiunum

COR. CELSI

intestinum incipit non ita implicitum, cui tale vocabulum est, quia nunquam quod accipit, continet, sed protinus in inferiores partes transmittit. Inde tenue intestinum est in sinus vehementer implicitum. Orbes vero eius per membranulas singuli cum inferioribus conneſcuntur, qui in dexterio rem partem conuerſi, & è regione d'exterioris coxæ finiti, superiores tamen partes magis complent. Deinde id intestinum cum crassiore altero transuerso committitur, quod à dextra parte incipiens, in sinisterio rem peruium, & longum est, in dexterio rem nō est. Ideoque cæcum nominatur. At id quod peruium est, late fufum, atque ſinuatum, minusque quā superiora in testina neruoſum, ab vtraque parte huc, atq; illuc volutum, magis tamen sinisteriores, inferioresq; partes tenens, contingit iecur, atq; ventriculum. Deinde cum quibusdam membranulis à sinistro rene venientibus iungitur, atq; hinc dextra recuruatum in imo dirigitur, qua excernit. Ideoque id ibi rectū intestinū nominantur. Contegit verò vniuersa hæc omētum ex interio re parte læue, & stricū, ex superiore mollius. Cui adeps quoq; innascitur, quæ sensu sicut cerebrum quoq;, & medulla caret. At à renibus singulæ venæ calore albæ ad vesicam feruntur, *ouertidas* Græci vocant, quod per eas inde descendente m vrinam in vesicam destillare concipiunt. Vesica autē in ipso sinu neruoſa, & duplex ceruice plena, atque carnoſa iungitur per venas cum intestino, eoque ossē, quod pubi subest. Ipsa soluta, atque liberio re est, aliter in viris, atque in fœminis posita. Nam in viris iuxta rectum intestinum est, potius in sinistra partem inclinata. In fœminis super genitale earum posita est, superque elapsa ab ipsa vulua sustinetur. Tum in masculis iter vrinæ spaciosius, & compressius à ceruice huius descendit ad colem. In fœminis breuius, & plenius super vuluæ ceruicem se ostendit.

dit. Vulua autem in virginibus quidem admodum exigua est. In mulieribus vero nisi ubi grauidæ sunt, non multo maior, quàm vt manu comprehendatur. Ea recta continuataque ceruice, quem canalem vocant, contra mediam aluum orsa, inde paulum ad dexteriores coxam conuertitur, deinde super rectum intestinum progressa, iliis fœminæ latera sua innestat. Ipsa autem ilia inter coxas, & pubem imo ventere posita sunt, à quibus ac pube abdomen sursum versus ad præcordia peruenit, ab exteriori parte eui denticute, ab interiori laxi membrana inclusum, quæ omento iungitur, *πυλιν* autem à Græcis nominatur.

De curationibus morborum, qui nascuntur à capite,
& primo de eius dolore, deinde de morbo, qui
circa faciem nascitur, tum de linguæ resolutione,
postremo de destillatione,
ac grauedine. CAP. II.

His veluti in conspectum quendam quatenus scire curanti necessarium est adductis, remedia singularum laborantiū partium exequar, orlus a capite. sub quo nomine nunc significo eam partem, quæ capillo tegitur. Nam oculorum, aurium, dentium dolor, & si quis similis est, aliàs erit explicandus. In capite autem interdum acutus, & peltifer morbus est, quem *κεφαλαια* Græci vocant. Cuius notæ sunt horror calidus, neruorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, sic vt vox supprimatur, vel sanguinis ex naribus cursus, sic vt corpus frigescat, anima deficiat. Præter hæc dolor intolerabilis maxime circa tempora, vel occipitium. Interdum autem in capite longa imbecillitas, sed neque grauis, neq; periculosa per hominis ætatem est. Interdum grauior dolor, sed brevis, neque

COR. CELSI

tamen mortiferus, qui vel vino, vel cruditare, vel frigore, vel igne, aut sole contrahitur. Hiq; omnes dolores modo in febre, modo sine hac sunt, modo in toto capite, modo in parte interdum, sic vt oris quoq; proximā partem excrucient. Præter hæc etiam vnum inuenitur genus, quod potest longū esse. vbi humor cutē inflat, eaq; intumescit, & prementi digito cedit, *ὑδρόκηφαλον* Græci appellant. Ex his id, quod secūdo loco positum est, dum leue est, qua sit ratione curandū, dixi, cum psequer ea, quæ sani homines in imbecillitate partis alicuius facere deberent. Quæ vero auxilia sint capitis, vbi cū febre dolor est, eo loco expliciū est, quo febriū curatio exposita est. Nunc de cæteris dicendum, ex quibus id, quod acutū est, & id, q̄ supra consuetudinem intenditur, idq; quod ex subita causā, & si non pestiferū, tamen vehemens est, primum curationem habet, qua sanguis mitatur. Sed id, nisi intolerabilis est dolor, superuacuum est. Sariusq; est abstinere à cibo, si fieri potest, et à potione, si non potest, aquā bibere. si postero die dolor remanet, aluum ducere, sternutamenta euocare, nihil assumere, nisi aquam. sæpe enim dies vnus, aut alter totum dolorem hac ratione discutit. vtiq; si ex vino, vel cruditate origo est. si vero in his auxiliij parum est, tonderi oportet ad cutem. deinde considerandū est, quæ causā dolorem excitarit. si calor, aqua frigida multa perfundere caput expedit, spongiā concuam imponere, subinde in aqua frigida expressam, ungere rosa, & aceto, vel potius his tinctam lanam succidam imponere, aliaq; refrigerantia cataplasmata. At si frigus nocuit, caput oportet pfundere aqua calida maritima, vel certe salsa, aut in qua laurus decocta sit, tū caput vehementer perfricare, deinde calido oleo implere, veste velare, quidam etiam id deuinciunt. Alij cervicalibus, vestimentisq; onerant, & sic leuantur. alios calida cataplasmata adiuuant. Ergo et vbi causā inco-

gnita est, videre oportet refrigerantia magis, an calefacientia leniant, & his vti, quæ experimentum ap-
probarit. At si parum causâ discernitur, perfundere
caput primum aqua calida, sicut supra præceptum est,
vel falsa, vel ex lauro decocta, tum frigida posca. Il-
la in omni vetusto capitis dolore cõmunia sunt, ster-
nuramenta excitare, inferioris partes vehementer
perfricare, gargarizare his, quæ saliuam mouent,
cucurbitulas temporibus, & occipitio admouere, san-
guinem ex naribus detrahare, resina subinde tempo-
ra peruellere, & imposito sinapi exulcerare ea, quæ
male habent, ante linteolo subiecto, ne vehemen-
ter arrodat, cãdentibus feramentis vbi dolor est, vl-
cera excitare, cibum per modicum cum aqua sume-
re. vbi leuatus est dolor, in balneum ire, ibi multa
aqua prius calida, deinde frigida per caput perfun-
di. Si discussus ex toto dolor est, etiam ad vinum re-
uertere, sed postea semper antequam quicquam aliud,
aquam bibere. dissimile est id genus quod humorem
in caput contrahit. In hoc tondere ad cutem neces-
sarium est. deinde imponere sinapi sic, vt exulceret.
si id parum profuit, scalpello vtendum est. Illa cum
hydropicis cõmunia sunt, vt exerceatur, insudet. ve-
hementer perfricetur, cibis, potionibusque vtatur,
vrinam præcipue mouentibus.

De morbo, qui circa faciem nascitur, quem græci
cynicum spasimum vocant.

Circa faciem vero morbus innascitur, Græci
κυνικόν σπασμόν nominant. Is cum acuta fe-
bre oritur. Os cum motu quodã pueriti-
ur. ideoque nihil aliud est, quàm distictio oris. Accedit cre-
bra coloris in facie, totoque corpore mutatio. somnus
in promptu est. in hoc sanguinem mittere optimum est.
Si finitum eo malum non est, ducere aluum. si ne sic quidẽ

C O R. C E L S I

discussum est, albo veratro vomitus mouere. præter hæc necessarium est vitare solem, lassitudinem, vinum. sed si discussum his non est, vtendum est cursu, frictione in eo, quod læsum est, leni, & multa in reliquis partibus breuiore, sed vehementi. prodest etiã mouere sternutamenta, caput radere, idque perfundere aqua calida, vel marina, vel certe salsa sic, vt ei quoque sulphur adiciatur. post perfusionem iterum perfricari, sinapi manducare, eodemque tempore affectis oris partibus ceratum, integris idem sinapi, donec arrodar, imponere. Cibus aptissimus ex media materia est.

De resolutione linguæ.

AT si lingua resoluta est, quod interdum per se, interdum ex morbo aliquo fit sic, vt sermo hominis non explicetur, oportet gargarizare ex aqua, in qua vel thymum, uel hyslopum, uel nepeta decocta sit, aquam bibere, caput, & os, & ea, quæ sub mento sunt, & ceruicem uehementer perfricare, lasere linguam ipsam, linere, manducare quæ sunt acerrima, idest sinapi, allium, cepam, magna uiluctari, ut uerba exprimantur, exerceri retento spiritu, caput sæpe aqua frigida perfundere, nonnunquam multam esse radiculam, deinde uomere.

De destillatione, ac grauedine.

DEstillat autem humor ex capite interdum in nares, quod leue est. interdum in fauces, quod peius est. interdū etiam in pulmonem, quod pessimum est. Si in nares, destillat, tenuis per has pituita profluit, caput leuiter dolet, grauitas eius sentitur, frequentia sternutamenta sunt. Si in fauces, has exasperat, tussiculam mouet. si in pulmonem, præter

ter sternutamenta, & tussim, est etiam capitis graui-
tas, lassitudo, sitis, estus, biliosa vrina. Aliud autē (quā
uis non multum distans malum) grauedo est. Hæc na-
res claudit, vocem obtundit, tussim siccā mouet, sub
eadem falsa est saliuā, sonant aures, venæ mouentur
in capite, turbida vrina est. Hæc omnia καρυΐς Hip-
pocrates nominat. Nunc video apud Græcos in gra-
uedine hoc nomen seruari, destillationem κατασχυ-
µος appellari. Hæc autē & breuia, & si neglecta sūt,
longa esse cōsueuerunt. Nihil pestiferū est, nisi quod
pulmonem exulcerauit. Vbi aliquid eiusmodi sen-
simus, protinus abstinere à sole, balneo, vino, venere
debemus. Inter quæ vnctione, & assueto cibo nihi-
lominus vti licet. ambulatione tantum acris, sed testa
vtendum est, & post eam caput, atque os supra quin-
quagies perfricandū. Raroq; fit, vt si biduo, vel cer-
te triduo nobis temperauimus, id vitium non leue-
tur. Quo leuato, si in destillatione crassa facta pitui-
ta est, vel in grauedine nares magis patent, balneo
vtendum est, multaue aqua prius calida, post egeli-
da fouendū os, caputq; deinde cum cibo pleniore vi-
num bibendum. At si æque tenuis die quarto pituita
est, vel nares æque clausæ videntur, assumendū est
vinum amineū austerum, deinde rursus biduo aqua,
post quæ ad balneum, & ad consuetudinem reuerten-
dum est. Neque tamen illis ipsis diebus, quibus ali-
qua omittenda sunt, expedit tanquam ægros agere,
sed cætera omnia quasi sanis facienda sunt, præter-
quam si diutius aliquem, & vehementius ista solici-
tate consueuerunt. Huic enim quædam curiosior
obseruatio necessaria est. Igitur huic si in nares, vel
in fauces destillauit, præterea quæ supra retuli, pro-
prius primis diebus multum ambulandum est, perfri-
candæ vehementer inferiores partes, leuior frictio
adhibenda thoraci erit, leuior capiti, demenda assue-
to cibo pars dimidia, sumēda oua, amyllum, similiaq; ,

COR. CELSI

quæ pituitam faciunt crassiorē. Siti quanta maxime sustineri potest, pugnandum est. Vbi per hæc idoneus aliquis balneo factus, eoq̃ue vsus est, adiciendus est cibo pisciculus, aut caro, sic tamēne protinus iustus modus cibi sumatur. Vino meraco copiosius vtendum est. At si in pulmonem quoq; destillat, multoq; magis & ambulatione, & frictione opus est, eademq; adhibita ratione in cibis, si non satis illi proficiunt, acrioribus vtendum est, magis somno indulgendum, abstinendumq̃ue à negociis omnibus, aliquando sed serius & balneis tentandum. In grauedine autem primo die quiescere, neq; esse, neq; bibere, caput velare, fauces lana circundare, postero die surgerre, diu abstinere à potione, aut si res coegerit, non vltra heminam aquæ assumere. Tertio die panis non ita multum ex parte interiore cum pisciculo, vel leni carne sumere, aqua bibere. Si quis sibi temperare non potuerit, quo minus pleniore victu vtatur, vomere. Vbi in balneum ventum est, multa aqua calida caput, & os fouere vsq; ad sudorē, tum ad vinū redire: post quæ vix fieri potest, vt idem in cōmodum maneat. Sed si manserit, vtendum erit cibis frigidis, aridis, leuibus, humore quā minimo, seruatis frictionibus, exercitationibusq; quæ in omnī tali genere valetudinis necessaria sunt.

De ceruicis morbis, curationibusq̃ue.

CAP. III.

A Capite transitus ad ceruicem est, quæ grauius admodum morbis obnoxia est. Neque tamen alius importunior, acutiorq; morbus est, quā is qui quodam rigore nervorum, modo caput scapulis, modo mentum pectori annectit, modo rectam, & immobilem ceruicem intendit. Priorem Græci *ἀπὸ τοῦ κεφαλῆ*, insequentem *ἐκ τῆς σπονδύλου*

Ultimum ~~ratio~~ appellant. quanuis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus vtuntur. Ea sæpe intra quartum diem tollunt. Si hunc euaserunt, sine periculo sunt. Omnia eadem ratione curantur, idque conuenit. Sed Asclepiades vtique mittendum sanguinem credidit. Quod quidam vitandum esse dixerunt, eo quod maxime tum corpus calore egeret, isque esset in sanguine. Verum hoc quidem falsum est. Neque enim naturæ sanguinis est, vt vtique caleat, sed ex his, quæ in homine sunt, hic celerime vel calefcit, vel refrigescit. Mitti vero nec ne debeat, ex his intelligi potest, quæ de sanguinis missione præcepta sunt. Vtique autem recte datur castoreum, & cum hoc piper, vel laser. Deinde opus est fomento humido, & calido. Itaque plerique aqua calida multa ceruices subinde perfundunt. Id in præsentia leuat, sed oportuniore nervos frigori reddit. Quod vtique vitandum est. Vtilis igitur est cerato liquido primum ceruicem perungere, deinde admo- uere vesicas, bubulas, vel vtriculos oleo calido re- pletos, vel ex farina calidum cataplasma, vel piper rotundum cum sicco contusum. Vtilissimum tamen est humido sale fouere. Quod quomodo fieret, iam ostendi. Vbi eorum aliquid factum est, admo- uere ad ignem, vel si æstas est, in sole ægrum oportet, maximeque oleo vetere, si id non est, syriaco, si ne id quidem est, adipe quam vetustissima ceruicem, & scapulas, & spinam perfricare. Frictio cum omnibus in homine vertebrae utilis sit, tum iis præcipue, quæ in collo sunt. Ergo die, nocteque interpositis tamen qui- busdam temporibus hoc remedio vtendum est. Dum id intermittitur, imponendū malagma aliquod ex ca- lefacientibus. Cauendum verò præcipue frigus. Ideo que in eo conclauis, quo cubabit æger, ignis cōtinuus esse debet, maximeque tēpore ante lucano, quo præ- cipue frigus intēditur. Neque inutile erit caput atton-

sum habere, idq; irino, vel cyprino calido madefacere, & superimposito pilleo velare, nonnunquā ē in calidū oleū totum descendere, vel in aquā calidā, in qua scēnū græcum decoctum sit, & adiecta olei pars tertia. Alius quoque ducta sepe superiores partes resoluit. Si vero etiam vehementius dolor creuit, admoventur ceruicibus cucurbitulæ sunt, sic, vt cutis incidatur, eadem aut feramentis, aut sinapi adurentur. Vbi leuatus est dolor, moueri quæ ceruix cœpit, scire licet cedere remediis morbum. Sed diu vitandus cibus, quisquis mandendus est. Sorbitionibus vtendum, item quæ ouis sorbilibus, aut à pullis mollibus ius ali quod assumendū. Id si bene processerit, iamq; ex toto recte se habere ceruices videbuntur, incipiendū erit à pulicula, vel itrita bene madida. Celerius tamen etiam panis mandendus, quā vinum gustandū si quidem huius vsus præcipue periculosus, ideo quæ in longum tempus differendus est.

De faucium morbis, ac curationibus, & primum de Angina, deinde de Difficultate spirandi, ultimo de Tussi. C A P. II II.

VT hoc autem morbi genus circa totam ceruicem, sic alterum æque pestiferum, acutū quæ in faucibus esse consuevit, nostri Anginam vocant, apud græcos nomen prout species est. Interdū enim neq; rubor, neq; tumor vllus apparet, sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra soluuntur, id *συναγχνη* vocant. Interdum lingua, faucesq; cum rubore intumescunt, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallet, singultusq; est, id *συναγχνη* vocatur. Illa cōmunia sunt, æger non cibum deuorare, non potionē pōt, spiritus eius includitur. Leuius est vbi tumor tantummodo & rubor est, cætera non sequuntur, id *παρασυναγχνη* appellant. Quic-

quid est, si vires patiuntur, sanguis mittendus est, si non abundat, secundum est ducere alium. Cucurbitula quoque recte sub mento, & circa fauces admo- uetur, ut id quod strangulat, euocet. Opus est deinde fomentis humidis. Nam sicca spiritum elidunt. Er- go admoovere spongiās oportet, quæ melius in cali- dum oleum, quam in calidam aquā subinde demitun- tur. Efficacissimūq; est hic quoq; salis calidi succus. Tum commodum est hyssopum, vel nepeta, vel thy- mum, vel absinthiū, vel etiam fursures, aut ficus ar- das, aut mulsam aquam decoquere, eaque gargari- zare: post hæc palatum ungere vel felle, taurino, vel eo medicamento, quod ex moris est, polline etiam piperis id recte respergitur. Si per hæc parum profi- citur, vltimum est incidere satis altis plagis sub ip- sis maxillis supra collum, & in pallato citra vñā vel eas venas, quæ sub lingua sunt, ut per ea vulnera mor- bus erumpat. Quibus si non fuerit æger adiutus, sci- re licet modo victum esse. Si vero his morbus leua- tus est, iamque fauces, & cibum, & spiritum capiunt, facilis ad bonam valetudinem recursus est. At in- terdum natura quoq; adiuuat, si ex angustiore sede vitium transit in lat iorem. Itaque rubore, & tumo- re in præcordiis orto, scire licet fauces liberari. Quicquid autem eas leuabit, incipiendum est ab hu- midis, maximeque aqua mulsā decocta, deinde assu- mendi molles, & non acres cibi sunt: donec fauces ad pristinum habitum reuertantur, Vulgo audio si quis pullum hirundinis ederit, Angina toto anno nō periclitari. seruatumque eum ex sale cum is morbus vrget, comburi, carbonemque eius contritum in aquam mulsam, quæ potui datur, infricari, & prodes- se. Id cum idoneos auctores ex populo habeat, ne- que habere quicquā periculi possit, quauis in mo- numentis medicorum non legerim, tamen inseren- dum huic operi meo credidi.

De difficultate spirandi.

Est etiam circa fauces malum, quod apud grecos aliud, atque aliud nomen habet, prout se intendit. Omne in difficultate spirandi consistit. Sed hæc dum modica est, neque ex toto strangulant, *δυσπνοια* appellatur. Cum vehementior est, ut spirare æger sine sono, & anelatione non possit, *ασπνοια*. Cum accessit id quoque ne nisi recta ceruice spiritus trahatur, *ορθοπνοια*. Ex quibus id, quod primum est, potest diutius trahi. Duo insequentia acuta esse consuerunt. His communia sunt, quod propter angustias, per quas spiritus euadit, sibilum elidit, dolor impectore, præcordijsq; est, interdum etiam scapulis, isq; modo decedit, modo reuertitur, ad hæc tussicula accedit. Auxiliū est, nisi aliquid prohibet, in sanguinis detractio. Neq; id satis est, sed lacte quoque venter soluendus est. Liquanda aluus, interdum etiam ducenda, quibus extenuatum corpus incipit spiritum trahere commodius. Caput autem etiam in lecto sublime habendum est, thorax fomentis, cataplasmatissq; calidis, aut siccis, aut etiam humidis adiuuandus est, & postea vel malagma superimponendum, vel certe ceratum ex cyprino, vel irino vnguento. Sumenda deinde ieiuno potui mulsæ aqua, cum qua vel hyssopus cocta, vel contrita caparis radix sit. Datur etiam vtiliter aut nitrum, aut nasturcium, allium, rictum deinde contritum, & cum melle mixtum, simulq; coquantur mel, galbanum, resina, terebenthina, & ubi coierūt ex his quod fabæ magnitudinem habet, cotidie sub lingua liquatur, aut sulphuris ignem non experti, pondo, & quadrans, abrotani pondo in vini cyatho terūtur, idque tepefactum sorbetur. Est etiam non vana opinio vulpinum iecur, ubi siccum, & aridum factum est, cō-

tundi oportere, polentamq; ex eo potioni aspergi, vel eiusdem pulmonem quam retentissimum assum, sed sine ferro coctum, edendum esse. Præter hæc forbitionibus, & lenibus cibus vtendum est, interdum vino tenui austero, nonnunquam vomitu. Profunt etiam quæcunq; vrinam augent, sed nihil magis quàm ambulatio lenta penè vsq; ad lassitudinem, frictio multa præcipuè inferiorum partium vel in sole, vel ad ignem, & per se ipsum, & p. alios vsq; ad sudorem. In interiore verò faucium parte interdum exulceratio esse consuevit. In hac pleriq; extrinsecus cataplasmatibus calidis, fomentisq; humidis vtuntur. Volunt etià vaporem calidum ore recipi, per quæ molliores alij partes eas fieri dicunt, oportunioreq; vitio iam hærenti. Sed si bene sic vitari morbus potest, tuta illa præsidia. Si metus eius est, superuacua sunt. Vtique autem perfricare fauces periculosum est, exulcerat enim, neq; vtilia sunt: quæ vrinæ mouendæ sunt apta, quia possunt, dum transeunt, ibi quoq; pituitâ extenuare, quàm suppressi melius est. Asclepiades multarum rerum, quas ipsi quoq; secuti sumus, author bonus, acetum ait quàm acerrimū esse sorbendū: hoc enim sine vlla noxa cōprimit vlcera. Sed id suppressere sanguinē potest, vlcera ipsa sanare non potest. Melius huic rei licium est, quod idē quoq; æque probat, vel porri, vel marubij succus, vel nuces græcæ cū tragacantho contritæ, & cum passo mixtæ, vel lini semen contritum, & cum dulci vino mixtum. Exercitatio quoq; ambulandi, currendiq; necessaria est. Frictio a pectore vehemens toti inferiori parti adhibenda. Cibi vero esse debent neq; nimium acres, neq; asperi, mel, lēticula, tragū, lac, ptisana, pinguis quoq; caro, præcipueq; porrū, & quicquid cū hoc mixtū est. Potionis q̄ minimū esse conuenit. Aqua dari potest, vel pura, vel in qua malum cydoneū, palmulæ decoctæ sunt. Gargarizationes quoq; lenes: sin hæ parū

K iiij

C O R. C E L S I

proficiunt, reprimentes viles sunt. Hoc genus neque acutum est, & potest esse non longum, curationem tamen maturam, ne vehementer, & diu laedar, desiderat.

De Tussi.

T Vssis verò ferè propter faucium exulcerationem molesta est, quæ multis modis contrahitur. Itaque illis restitutis ipsa finitur. Solet tamen interdum per se quoque male habere, & vix cum vetus facta est, eliditur, ac modo arida est, modo pituitam citat. Oportet hyslopum altero quoque die bibere, spiritu retento currere, sed minime in puluere, ac lectione vti vehemente, quæ primo impeditur à Tussi, post eam vincit, tum ambulare, dein de per manus quoque exerceri, & pectus diu perfricare. Post hæc quam pinguissemus fucus vncias tres supra prunas incoctas esse. Præter hæc si humida est, prosunt frictiones validæ cum quibusdam calefacientibus sic, vt caput quoque siccum vehementer perfricetur. Item cucurbitulæ pectori admotæ, sinapi ex parte exteriore faucibus impositum, donec leniter exulceret, potio ex menta, nucibusque græcis, & amylo, primoque assumptus panis aridus, deinde aliquis cibus lenis. At si sicca Tussis est, cum ea vehementissime vrget, adiuvat vini austeri cyathus assumptus, dum ne amplius id interposito tempore aliquo, quam ter, aut quater fiat. Item laseris quam optimi paulum deuorare opus est, porri, vel marubij succum assumere, scyllam delingere, acetum ex ea vel certe acre sorbere, aut cum spica allii contriti duos vini cyathos. Vtilis est in omni Tussi est peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima, natationes. Cibus interdum mollis, vt malua, vt vrtica, interdum acer, vt lac cum allio coctum, sorbitiones quibus laser sit

adiectum, aut in quibus porrum incoctum tabuerit, ouum forbile sulphure adiecto, potui primum aqua calida, deinde inuicem alijs diebus hæc, alijs vinum. Magis terreri potest aliquis cum sanguinem expuit, sed id modo minus, modo plus periculi habet. Exit enim modo ex gingiuis, modo ex ore. & quidem ex hoc interdum etiam copiose, sed sine Tussi, sine vlcere sine gingiuarum vlllo vitio, ita vt nihil excreetur. Verum vt ex naribus, sic ex ore aliquando prorumpit. Atque interdum sanguis profluit, interdum simile aque quiddam, in qua caro recens lota est. Nunquam autem is à summis faucibus fertur, modo exulcerata ea parte, modo non exulcerata, sed aut ore venæ alicuius adaperto, aut tuberculis quibusdam natis ex his sanguine erumpente. quod vbi incidit, neque lædit potio, aut cibus, neq; quicquam aut ex vlcere excreatur aliquando gutture, & arterijs exulceratis, frequens Tussis sanguinem quoque extundit. Interdum etiam fieri solet, vt aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex iocinore feratur. Sæpe fœminæ quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc expuunt, authoresq; medici fuerunt, vel ex ea parte aliqua sanguinem exire, vel rupta, vel ore alicuius vene patefacto. Primam *διὰ βραχίον*, secundam *ἐκ πυλῶχεσμον*, tertiam *ἀνὰ στόματιν* appellant. Vltima minime nocet, prima grauissime. Ac sæpe quidem euenit, vti sanguinem pus sequatur. interdum autem, qui sanguinem ipsum suppressit, satis ad valetudinem proficit. Sed si secuta ulcera sunt, si pus, si Tussis est, pro vt sedes ipsa est, ita varia, & periculosa genera morborum sunt. Si vero sanguis tantum fluit, expeditius, & remedium, & finis est. Neq; ignorari oportet eis, quibus fluere sanguis solet, aut quibus spina dolet, coxæ ve, aut post cursum vehementem, vel ambulationem, dum febris absit, non esse inutile sanguinis mediocre profluvium, idque per

COR. CELSI

vrinam redditum ipsam quoq; lassitudinem soluere. Ac ne in eo quidem terribile esse, qui ex superiore loco decidit: si tamē in eius vrina nihil nouabit. Neq; vomitum huius asferre periculum etiā cum repetit, si ante cōfirmare, & implere corpus licuit, & ex toto nullum nocere, qui in corpore robusto neq; nimius est, neq; tussim, aut calorem mouet. Hæc pertinent ad vniuersum. Nunc ad ea loca, quæ proposui, veniā. Si ex gingiuis exit, portulacam manducasse satis est: si ex ore, contiuiuisse eo merum vinum. si parum id proficit, acetum, si inter hæc quoq; grauiter erūpit, quia consumere hominem potest, commodissimum est impetum eius admota occipitio cucurbitula sic, vt cutis quoq; incidatur, auertere. Si id mulieri cui menstrua non feruntur, euenit, eandem cucurbitulā incisis inguinibus eius admouere. At si ex faucibus, interioribusve partibus processit, & metus maior est, & cura maior adhibenda. sanguis mittendus est, & si nihilominus ex ore processit, iterum, tertioque, & cotidie paulum aliquid, protinus autē debet sorbere vel acetum, vel etiam cum thure plātaginis, aut porri succum, imponēdaq; extrinsecus supra id, quod dolet, lana succida ex aceto est, & id sponsia subinde refrigerandum. Erasistratus horum crura quoq; & femora, brachiaq; pluribus locis deligabat. Id Asclepiades adeo non prodesse, vt etiam inimicum esset, proposuit. Sed id sæpe commode respondere experimenta testantur. Neq; tamen pluribus locis deligari necesse est, sed sat est infra inguinā, & super talos, summosq; humeros, etiam brachia. Tum si febris vrget, dāda est sorbitio, & potui aqua, in qua aliquid ex his, quæ aliūm astringūt, decoctum sit: at si abest febris, vel elota alica, vel panis ex aqua frigida, & mole quoque ouum dari potest potui, vel idem quod supra scriptum est, vel vinum dulce, vel aqua frigida, sed sic bibendum erit, vt sciamus huic morbo sitim pro-

desse, præter hæc necessaria sunt quies, securitas, silentium. Caput huius quoque cubantis sublime esse debet, recteque tondetur. Facies sæpe aqua frigida fouenda est. At inimica sunt vinū balneum, venus, in cibo oleum, acriora omnia. Itē calida fomenta conclave calidum, & inclusum, multa vestimenta corpori iniecta, etiam fricationes vbi bene etiam sanguis conquieuit. Tum verò incipiendum est a brachiis, cruribusque; à thorace abstinendum. In hoc casu per hyemem locis maritimis, per æstatem mediterraneis opus est.

De stomachi morbis, & curationibus.

CAP. V.

FAucibus subest stomachus, in quo plura longa vitia incidere cōsueuerunt. Nam modò ingens calor, modò inflatio hunc, modo inflammatio, modò exulceratio afficit. Interdum pituita, interdum bilis oritur, frequentissimumque est eius malum quo resoluitur, neque ulla re magis aut afficitur, aut corpus afficit. Vt diuersa autem vitia eius, sic etiam remedia sunt. Vbi exæstuat, aceto cum rosa extrinsecus subinde fouendus est, imponendusque pulvis cum oleo, & ea cataplasmata, quæ simul & reprimunt, & molliunt. Potui, nisi quid obstat, gelida aqua præstanda. Si inflatio est, profunt admotæ cucurbitulæ, neque incidere cutem necesse est, profunt sicca, & calida fomenta, sed non vehementissima. Interponenda abstinencia est. Vtilis in ieiunio potio est absinthij, aut hyssopi, aut rutæ. Exercitatio primò lenis, deinde maior adhibenda est, maximeque quæ superiores partes moueat. Quod genus in omnibus stomachi vitijs aptissimum est. Post exercitationem opus est vñctione, frictione, balneo quoque nonnunquam, sed rarius interdum alui ductione, Cibis de-

COR. CELSI

inde calidis, neque infantibus, eodemque modo calidis potionibus, primo aquæ, post, ubi resedit inflatio, vini austeri. Illud quoque in omnibus stomachi virijs præcipiendum est, ut quo modo se quisque æger refecerit, eo ut sanus utatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi hisdem defendatur bona valetudo, quibus reddita est. At si inflammatio aliqua est, quæ ferè tumor, & dolor sequitur, prima sunt quies, & abstinencia, lana sulphurata circumdata, in ieiuno absinthium. Si ardor stomachum vrget, aceto cum rosa subinde fouendus est, deinde cibus quidem utendum est modicis. Imponenda vero extrinsecus quæ simul & reprimunt, & molliunt, deinde his detractis utendum calidis ex farina cataplasmatibus, quæ reliquies digerant. Interdum aliud ducenda. Adhibenda exercitatio, & cibus plenior. At si exulceratio stomachum infestat, eadem ferè facienda sunt, quæ in faucibus exulceratis præcepta sunt. Exercitatio, frictio inferiorum partium adhibenda. Adhibendi leues, & glutinosi cibi, sed citra facietatem. Omnia acria, atque acida remouenda. Vino, si febris non est, dulci, aut si id inflat, certe leni utendum, sed neque præfrigido, neque nimis calido. Si vero pituita stomachus impletur, necessarius modo in ieiunio, modo post cibum vomitus est. Vtilis exercitatio, gestatio, nauigatio, frictio. Nihil edendum, bibendumque nisi calidum, vitatis tantum his, quæ pituitam contrahere consuerunt. Molestius est, si stomachus bile vitiosus est. Solent autem hi, qui sic tentantur, interpositis quibusdam diebus hanc (& quidem quod pessimum est) atram uomere. His recte aliud ducitur. porciones & absinthio dantur necessaria gestatio, nauigatio, si fieri potest ex nausea vomitus, vitanda cruditas. sumendi cibi faciles, & stomacho non alieni, vinum austerum. Vulgatissimum vero, pessimumque stomachi vitium est resolutio, id est cum cibi non tenax est, so-

letq; desinere ali corpus, ac sic tunc consumi. Huic genere inutilissimum balneum est. Lestiones, exercitationesq; superioris partis necessariae. Item vntiones, frictionesq; hinc perfundi frigida, atq; in eadem natate, canalibus eiusdem subijcere etiam stomachum ipsum, & magis etiam a scapulis, id quod contra stomachum est. Consistere in frigidis, medicatisque fontibus quales cutiliarum, symbruinarumque sunt, salutare est. Cibi quoque assumendi sunt frigidi, qui potius difficulter coquantur, quam facile viciantur. Ergo pleriq; qui nihil aliud concocere possunt, bubulam coquunt. Ex quo colligi potest, neque auem, neque venationem, neque piscem dari debere, nisi generis durioris. Potui quidem apertissimum est vinum frigidum, vel certe bene calidum meracum, potissimum rheticum, vel allobrogicum, aliudve, quod & austerum, & resina conditum est, si id non est, quam asperrimum, maximeq; signinum. Si cibus non continetur, danda aqua, & eliciendus plenior vomitus est, iterumq; dandus cibus, & tum admouendae duobus intra stomachum digitis cucurbitulae, ibique duabus, aut tribus horis continendae sunt. Si simul & vomitus, & dolor est, imponenda supra stomachum est lana succida, vel spongia ex aceto, vel cataplasma, quod refrigeret. Perfricanda vero non diu, sed vehementer brachia, & crura, & calefacienda. Si plus doloris est, infra praecordia quatuor digitis cucurbitula vtendum est, protinus dandus panis ex posca frigida. Si non continuit, post vomitum lene aliquid ex his, quae non aliena stomacho sunt. Si ne id quidem tenuit, singuli cyathi vini, singulis interpositis horis, donec stomachus consistat. Valens etiam medicamentum est radicle succus, valentius acidi punici mali compari modo succi, qui ex dulci punico malo est, adiecto etiam intubi succo, & menta, sed huius minima parte, quibus tantundem

COR. CELSI

quantum in his omnibus est, aque frigida quam optime miscetur. Id enim plus quam vinum ad comprimentum stomachum potest, suppressendus autem vomitus est, qui per se venit sic, si nausea est. Sed si coacuit intus cibus, aut computruit, quorum vtrumlibet ructus ostendit, eiiciendus est, protinusque cibus assumptis hisdem, quos proxime posui, stomachus restitutus. Vbi sublatus est praesens metus, ad ea redeundum est, quae supra praecpta sunt.

De laterum doloribus. CAP. VI.

Stomachus lateribus cingitur, atque in his quoque vehementes dolores esse consueverunt, & initium vel ex frigore, vel ex ictu, vel ex nimio cursu, vel ex morbo est. Sed interdum id malum intra dolorem est, isque modo tardè, modo celeriter soluitur, interdum ad perniciem quoque procedit, oriturque acutus morbus, qui πλεσιπνικός à Græcis nominatur. Huic dolori lateris febris, & tussis accedit. & per hanc excreatur, si tollerabilis morbus est, pituita si grauis sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quae nihil emollitur. Idque primò vitio grauius, secundo tolerabilius est. Remedium verò est magni, & recentis doloris sanguis missus. Ac siue lenior, siue vetustior casus est, vel supernacuum, vel serum id auxilium est, confugiendumque ad cucurbitulas est, ante summa curè incisa. Recte etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec vlcera, pustulasque excitet, & tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Præter hæc circumdare primum oportet latus ipsum lana sulphurata. deinde cum paulum inflammatio se remisit, siccis, & calidis fomentis uti. Ab his transitus ad malagmata est. Si vetustior dolor remanet, nouissime resina imposita discutitur. Vitandum cibus, potionibusque calidis, vitandum fri-

gus. Inter hæc tamen non alienum & extremas partes oleo, & sulphure perfricare. Si leuata tussis est, leni lectione uti, iamque & acres cibos, & uinum meracius assumere. Quæ à medicis præcipiuntur, ut tamen sine his rusticos nostros epota ex aqua herbarum trixago satis adiuuet. Hæc in omni lateris dolore communia sunt plus negotii est, si acutus quoque morbus is factus est. In hoc præter ea, quæ supra posita sunt, hæc animaduertenda sunt, ut cibus sit quam maxime tenuis, & lenis, præcipueque sorbitio, eaque ex præparata potissimum, aut ius in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit. Idque non nisi tertio quoque die detur, si tamen per vires licebit, potio vero aqua nulla, in qua hyssopum, aut ruta decocta sit. Quæ quibus temporibus danda sint ex ratione vel adiectæ, vel leuata febris apparebit sic, ut in remissione quam maxima dent, cum eo tamen, ut sciamus non esse eius generis tussi aridas fauces committendas. sæpe enim ubi nihil est, quod excreatur, continuatur, & strangulat. Ob quam causam dixi etiam peius id genus esse tussis, quod nihil, quam quod pituitam moueret. Sed hic vinum sorbere, ut supra præcepimus, morbus ipse non patitur, inuicem eius cremor præparatus sumendus est. Ut his autem in ipso morbi feruore sustinendus æger est, sic ubi paulum is se remittit, alimenta pleniora, & vini quoque aliquid dari potest, dum nihil detur, quod aut refrigeret corpus, aut fauces asperet. Si in refectione quoque maserit tussis, intermittere oportebit vno die, posteroque cum cibo vini paulo plus assumere. Atque incipiente quoque tussi tum non erit alienum, ut supra quoque positum est, vini cyathos sorbere. Sed in hoc genere valetudinis dulce, vel certè lene commodius est. Si malum inueterauit, athletico victu corpus firmandum est.

De viscerum morbis, & primo de Pulmone, de-
inde de Iocinore, tum de Liene, postremo
de Renibus. CAP. VII.

A Compagine vero corporis ad viscera tran-
seundum est, & in primis ad pulmonem ve-
niendum, ex quo vehemens & acutus mor-
bus oritur, quem περιπνευμονία Græci vocant Eius
hæc conditio est. Pulmo totus afficitur hunc eius
casum subsequitur tussis, bilem, vel pus trahens, præ-
cordiorum, totiusq; pectoris gravitas, spiritus diffi-
cultas, magnæ febres, continua vigilia, cibi fastidiū,
tabes. Id genus morbi plus periculi, quàm doloris
habet. Oportet si satis valide vires sunt, sanguinem
mittere, si minores, cucurbitulas sine ferro præcor-
diis admouere. Tum si satis valet, gestando ægrum
digerere, si parum, intra domum tamen dimouere.
Potionem autem hyssopi dare, cui ficus arida sit inco-
cta, aut aquam mulsam, in qua vel hyssopum, vel ruta
decocta sit. Frictione uti diutissime in scapulis, pro-
xime ab his in brachiis, & pedibus, & cruribus, le-
uiter contra pulmonem, idque bis cotidie facere.
Quod ad cibum verò pertinet, huic nec salis opus
est, neque acris, neque amaris, neque aluum altrin-
gentibus, sed paulo lenioribus. Ergo primis diebus
danda est sorbitio ptisanæ, vel alicæ, vel oryza, cum
qua recens adeps cocta sit. Cum hac sorbile ouum,
nuclei pinei ex melle, panis, vel elota alica ex aqua
mulsæ potui deinde non solum pura aqua, sed etiam
mulsæ egelida, aut si æstas est, etiam frigida, nisi
quid obstat. Hæc autem altero quoq; die increscen-
tē morbo dare satis est. Vbi incremento constiterit
quantum res patitur, ab omnibus abstinendum est,
præterquam aqua egelida. Si vires defunt, adiuuan-
dæ sunt aqua mulsæ. profuntq; aduersus dolores im-
posita

posita calida fomenta, vel ea, quæ simul & reprimunt, & emolliunt. Prodest impositus super pectus sal bene contritus, cum cerato mixtus, quia leuiter cutem erodit, eoq; impetum materiæ, quo pulmo vexatur, euocat. Vtile etiam aliquod malagma est ex his, quæ materiam trahunt. Neque alienum est dum premit morbus, clausis fenestris ægrum continere. Vbi paulum leuatus est, ter, aut quater die fenestris aliquanto apertis paruum aerem recipere. Deinde in refectione pluribus diebus à vino abstinere, gestatione, frictione vt, sorbitionibus, & prioribus cibis adiciere ex oleribus porrum, ex carne vngulas, & summa trunculorum, atq; pisciculos sic, ut diu nihil molle, & lene sumatur.

De iocinoris morbo, & curatione.

C A P. VIII.

Alterius quoque visceris morbus idest Iocinoris æque modò longus, modò acutus esse consuevit, *ἰπικτις* Græci vocant. Dextra parte sub præcordiis vehemens dolor est, idemq; ad latus dextrum, & ad iugulum, humerumque partis eiusdem peruenit, nonnunquam manus quoq; dextra torquetur, horror calidus est. Vbi male est, bilis euomitur, interdum singultus propè strangulat. Et hæc quidè acuti morbi signa sunt, longioris verò vbi suppuratio in iocinore est, dolorq; modò finitur, modò intèditur, dextra parte præcordia dura sunt, & tumet, post cibum maior difficultas est, accedit maxillarum quædam resolutio, vbi inueterauit malum, venter & crura, pedesq; intumescunt, pectus, atq; humeri, circaq; iugulum vtrunq; extenuatur. Initio sanguinem mittere optimum est, tum venter soluendus est, si nò potest aliter, per nigrum veratrum imponenda extrinsecus cataplasmata, primum quæ reprimant, deinde

L

COR. CELSI

calida, quæ deducant. quibus rectè iris, vel absinthium adiicitur, post hæc malagma. Dandæ verò for-
bitiones sunt, omnesq; cibi, & calidi, & qui non mul-
tum alant, & ferè qui pulmonis quoq; dolori conue-
niunt, præterq; eos, qui vrinam mouent, potionesque
ad id efficaces. Vtilia in hoc morbo sunt thymum, sa-
tureia, hyssopum, nepeta, amyllum, sisamum, lauri
baccæ, pini flos, herba sanguinalis, menta, ex malo co-
roneo medium, columbæ iecur recens, & crudum. Ex
quibus quædam per se esse, quædam adiicere vel for-
bitioni, vel potioni licet, sic tamen vt parcè assuman-
tur. Neq; alienum est absinthium contritum ex mel-
le, & pipere, eiusq; catapotiū quotidie deuorare, ab-
stinendum vtique est ab omnibus frigidis, neq; enim
res vlla magis iecur lædit. Frictionibus vtendum in
extremis partibus, vitandus omnis labor, omnis vehe-
mentior motus, ne spiritus quidem diutius continen-
dus est. Ira, trepidatio, pondus, ictus, cursus inimica
sunt. Perfusio corporis multa prodest ex aqua, si hye-
mis est, calida, si æstas, tepida. Item liberalis vnctio, &
in balneo sudor. Si verò iecur vomica laborat, eadem
facienda sunt, quæ in cæteris interioribus suppura-
tionibus. Quidam etiam contra id scalpello aperiūt,
ipsam vomicam adurunt.

De Lienis morbo, & curatione.

CAP. IX.

AT Lienis vbi affectus est, intumescit, simulq;
cum eo pars sinistra, eaq; dura est, & premē-
ti renitur, venter intentus est, aliquis etiā
cruribus est tumor. Ulcera aut omnino non fane-
scunt, aut certe cicatricem vix recipiunt. In intenta
ambulatione, cursuque dolor, & quædam difficultas
est. Hoc vitium quies auget. Itaque exercitatione, &
labore opus est, habita tamen ratione ne febre mix-

ta, si nimium processerit, excitetur. Vnctiones, frictionsque, & sudores necessarij sunt. Dulcia omnia inimica sunt. Item lac, & caseus. Acida autem maxime conueniunt. Ergo acetum acre per se sorbere, & magis etiam, quod scilla conditum est, expedit. Edenda sunt salsamenta: vel oleæ ex muria dura tinctæ in aceto lactuce, intubiq; & betæ ex eodem, ex sinapi asparagus, armoracia, pastinaca, vngulæ, rostra, aues macre, eiusdem generis venatio. Potui verò ieiuno dari debet absinthium incoctum, at post cibum aqua à ferrario fabro, in qua cadens ferrum subinde tinctum sit. Hæc enim vel præcipue lienem coercet: quod animaduersum est in his animalibus, quæ apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Potest etiam dari uinum tenue, austerū, omniaq; in cibus, & potionibus, quibus urinæ mouendæ sunt, præcipueq; ad id ualet uel trifolij semen, uel cuminum, uel apiū, uel serpillum, uel cytissus, uel portulaca, uel nepeta, uel thymum, uel hyssopū, uel satureia. Hæc enim in de commodissimè uidentur humorem deducere. Lienis quoq; bubulus utiliter esui datur, præcipueq; eruca, & nasturcium lienem extenuant. Imponenda quoque extrinsecus sunt quæ leuent. Fit ex unguento, & palmulis, quod *μυροβαλανον* græci uocāt. Fit ex lini, & nasturcii semine, quo uinum, & oleū adiicitur. Fit ex cupressu uiride, & arida ficu. Fit ex sinapi, cui seui hircini à renibus quarta pars ponderis adiicitur: teriturq; in sale, & protinus imponitur. Multisq; modis huic rei cappar aptum est. Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam eius cum aceto sorbere, commodum est. Quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem eius cum furfuribus, aut ipsum cappar cum melle contritum imponere expedit. Malagmata quoque huic rei aptantur.

COR. CELSI

De renum morbis, & curationibus.

C A P. X.

ATrenes ubi affecti sunt, diu male habent. Peius est si frequens biliosus vomitus accedit. Oportet conquiescere, cubare molliter, soluere aluum, si aliter non respondet, etiam ducere: sæpe desiderare in aqua calida, neque cibum, neq; portionem frigidam assumere, abstinere ab omnibus sal-
sis, acribus, acidis pomis, bibere liberaliter, adicere modò cibo, modò potioni piper, porrum, ferulam, al-
bum papauer, quæ maxime inde vrinam mouere con-
suerunt. Auxilio quoque his exulceratis sunt, si ad-
huc vlcera purganda sunt, cucumeris semina detra-
ctis corticibus sexaginta, nucleï ex pinu siluestri duo
decim, anesi quod tribus digitis sumi possit, croci
paulum, contrita & in duas multis portiones diuisa. Si
verò dolor tantum leuandus est, eiusdem cucumeris
semina triginta, iidem nucleï viginti, nuces græce
quinque, croci paululum. cōtrita, & cum lacte potui
data. Ac super quoque recte quædam malagmata inii-
ciuntur, maximeq; ea, quæ humori extrahendo sunt.

De intestinorum morbis, & primo de Cholera.

C A P. XI.

AVisceribus ad intestina veniendum est, quæ
sunt & acutis, & longis morbis obnoxia. Pri-
mo eque facienda mentio est Cholere, quia
commune id stomachi, atque intestinorum vitium vi-
deri potest. Nam simul & deiectio, & vomitus est, præ-
terq; hæc inflatio est, intestina torquentur, bilis su-
pra, infraq; erumpit, primum aque similis, deinde vt
in ea recens caro lota esse videatur, interdum al-
ba, nonnunquam nigra, vel varia. Ergo eo nomine

morbū hunc *χολέρα* Græci nominarunt. Præter ea
verò, quæ supra comprehensa sunt, sæpe etiam cru-
ra, manusq; contrahuntur, vrget sitis, anima deficit.
quibus concurrentibus non mirum est, si subito quis
moritur. Neque tamen vlli morbo minori momento
succurritur. Protinus ergo, vbi ista cœperunt, aquæ
repidæ quàm plurimum bibere oportet, & vomere.
Vix vnquam sine vomitu sequitur, sed etiam si non
incidit, miscuisse tamen nouam materiam corruptæ
prodest, parsq; sanitatis est vomitum esse suppressum,
si id incidit, protinus ab omni potione abstinendum
est. Si verò tormina sunt, oportet frigidis, & humi-
dis fomentis stomachum fouere; sed si venter dolet,
iisdem egelidis sic, vt venter ipse mediocriter calen-
tibus iuuetur. Quod si vehementer & vomitus, &
deiectio, & sitis vexant, & adhuc sub cruda sunt, quæ
vomuntur, nondum vino maturum tempus est. Aqua,
neque ea ipsa frigida, sed potius egelida danda est,
admouendumque naribus est puleium ex aceto, vel
polenta vino aspersa, vel menta si nondum matura
est. At cum discussa cruditas est, tum magis verendū
est, ne anima deficiat. Ergo tum confugiendum est
ad vinum. Id esse oportet tenue, odoratum, cum aqua
frigida mixtum, vel polenta adiecta, vel melle quo-
que assumere expedit, quotiesque aliquid aut sto-
machus, aut venter effudit, toties per hæc vires re-
stituere. Erasistratus primo tribus vini guttis, aut
quinis aspergendā potionem esse dixit, deinde pau-
latim merum adiiciendum. Is si & ab initio vinum
dedit, & metum cruditatis secutus est, non sine causa
fecit. Si vehementem infirmitatem adiuuari posse tri-
bus guttis putauit, errauit. At si inanis est homo,
& crura eius contrahuntur, interponenda potio ab-
sinthii est. Si extremæ partes corporis frigent, vn-
gendæ sunt calido oleo, cui ceræ paulum sit adiectū,
calidisque fomentis nutriendæ. Si ne sub his qui

dem quies facta est, extrinsecus contra ventriculum ipsum cucurbitula admouenda est, aut sinapi super imponendum. Vbi is constitit, dormire oportet, postero die utiq; à potione abstinere, die tertio in balneum ire, paulatim se cibo reficere, somno, quisquis facile acquiescit. Itemque lassitudine, & frigore. Si post suppressam choleram febricula manet, aluum duci necessarium est, tum cibus, vinoq; vtendum est. Sed hic quidem morbus & acutus est, & inter intestina, stomachumque versatur sic, vt cuius potissimum partis sit, non facile dici possit.

De Coeliaco ventriculi morbo. CAP. XII.

IN ipso verò ventriculi porta consistit is, qui & longus esse consuevit, κοιλιακός à Græcis nominatur. Sub hoc venter indurefcit, dolorque eius est. Alius nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit. Extremæ partes frigescunt. Difficulus spiritus redditur. Commodissimum est inter initia calida cataplasmata toto ventri imponere, vt dolorem leniant, post cibum vomere, atque ita ventrem exinanire. Proximis deinde diebus cucurbitulas sine ferro ventri, & coxis admouere. Ventrem ipsum liquare dato lacte, & vino falso, frigido. Si tempus anni patitur, etiam viridibus ficis, sic tamen ne quis aut cibus, aut humor vniversus detur, sed paulatim. Ergo per intervalla temporis sat est cyathos binos, ternosve sumere, & cibum pro portione huius, commodeque facit cyathos lactis, cyathus aquæ mixtus, & sic datus. Cibiq; instantes, & acres vtiliores sunt, adeo vt lacti quoque rectè contritum allium adiciatur. Procedente verò tempore opus est gestari, maximeque nauigare, perfricari ter, aut quater die sic, vt nitrum oleo misceatur, perfundi aqua calida post cibum, deinde sinapi imponere per omnia membra

excepto capite, donec arrodatur, & rubeat, maximeque si corpus durum, & virile est, paulatim deinde faciendus est transitus ad ea, quæ ventrem comprimunt. Assa caro danda, valens, & quæ non facile corrumpatur, potui verò pluuiæ aqua decocta, sed quæ per binos, ternosve cyathos bibatur. Si vetus vitium est, oportet laser quàm optimum ad piperis magnitudinem deuorare, altero quoque die vinum, vel aquam bibere, interdum interposito cibo singulos vini cyathos sorbere, ex inferiori parte infundere pluuiæ ægelidam aquam, maximeque si dolor in-
imis partibus remanet.

De Tenuioris intestini morbo. CAP. XIII.

INter ipsa verò intestina consistunt duo morbi, quorum alter in tenuiore, alter in pleniori intestino est. Prior acutus est. Insequens esse longus potest. Diocles Carystius tenuioris intestini morbum χαρδίασιν, plenioris εἰλεῖν nominauit. A plerisque; video non illum priorem εἰλεῖν, hunc κωλικοῦ nominari. Sed prior modò supra vmbilicum, modò sub vmbilico dolorem mouet. Fit ex alterutro loco inflammatio, nec alius, nec spiritus infra transmittitur, si superior pars affecta est, cibus, si inferior, ster-
cus per os redditur, si vtrumlibet vetus est, adicitur periculo vomitus biliosus mali odoris, aut varius, aut niger. Remedium est sanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admonere, non vbiq; cute incisa. Id enim duobus, aut tribus locis satis est. Ex ceteris spiritum euocare abũde est. Tum animaduertere oportet, quo loco malũ sit. Solet enim cõtra id tumere. Et si supra vmbilicum est, alui ductio vtilis non est. Si infra est, aluum ducere (vt Erasistrato placuit) optimum est, & sepe id auxilium satis est. Ducitur autem percolato prisanæ cremore cum oleo, &

L iiii

C O R. C E L S I

melle sic, vt præter ea nihil adiciatur. Si nihil tumeret, duas manus imponere oportet supra summum ventrem, paulatimq; deducere. Inuenietur enim mali locus, qui necesse est, renitatur, & ex eodem deliberrari poterit ducenda nec ne alius sit. Illa communia sunt, calida cataplasmata ad mouere, eaq; imponere à mammis vsque ad inguina & spinam, ac sæpe mutare, brachia, cruraq; perfricare, demittere totum hominem in calidū oleū. Si dolor non quiescit, etiam in aluum ex parte inferiore tres, aut quattuor, cyathos calidi olei dare. Vbi per hæc consecuti sumus vt iam ex inferiore parte spiritus transmittatur, offerre potui mulsum tepidum non multum. Nam antè magna cura vitandum est, ne quid bibat: si id commode cessit, ad iicere sorbitionem. Vbi dolor, & febricula quierunt, tum demum vti cibo pleniore, sed neque inflante, neque duro, neque valido, ne intestina adhuc imbecilla lædantur, potui verò nihil præterquam puram aquam. Nam siue quid vinolentum, siue acidum est, id huic morbo alienum est. Ac postea quoque vitare oportet balneum, ambulationem, gestationem, cæterosque corporis motus. Nam facile id malum redire consuevit, & siue cum frigus subit, siue aliqua iactatio, nisi bene iam confirmatis intestinis, reuertitur.

De morbo intestini plenioris. C A P. XIII.

IS aut morbus, qui in intestino pleniore est, in ea maxime parte est, quam cæcam esse proposui. Vehemens inflatio, vehementes dolores dextra magis parte, intestinum quod verti videtur, propè spiritum elidit. In plerisq; post frigora, cruditatesq; oritur, deinde quiescit, & per ætatē sæpe repetēs sic cruciat, vt vitæ spacio nihil demat. Vbi is dolor cœpit, ad mouere sicca, & calida fomenta oportet, sed primo

lenta, deinde validiora, simulque frictiones, ad extremas partes, id est crura, brachiaque materiam reuocare. Si discussum non est, qua dolet cucurbitulas sine ferro defigere. Est etiam medicamentum eius rei causa comparatum, quod κολικόν nominatur. id se reperisse Cassius gloriabatur. Magis prodest potui datum, sed impositum quoque extrinsecus digerendo spiritum, dolorem leuat. Nisi finito verò tormento, recte neque cibus, neque potio assumitur. Quo victu sit vtendum qui hoc genere tentatur, iam mihi dictum est. Confectio medicamenti, quod κολικόν nominatur, ex his constat. Costi, anisi, castorei singulorum. Pondo denariorum * III. petroselin. P. denariorum. III. piperis longi, & rotundi singulorum. P. *. I. papaueris lachrymæ, iunci rotundi, myrræ, nardi singularum. P. v. I. * quæ melle excipiuntur, id autem & deuorari potest, & ex aqua calida sumi.

De torminibus, id est dysenteria. CAP. XV.

Proxima his inter intestinorum mala, tormina esse consueuerunt, δυσεντερία Græcè vocatur. Intus intestina exulcerantur. Ex his cruor manat. Isque modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi muscosis excernitur, interdum simul quædam carnosæ descendunt. Frequens deiiciendi cupiditas, dolorque in ano est. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur. Atque eo quoque tormentum intenditur. Idque post tempus aliquod leuatur, exiguaque requies est, somnus interpellatur, febricula oritur, longoque tempore id malum cum inueterauerit, aut tollit hominem, aut etiam (si finitur) excruciat. Oportet in primis conuiescere. Si quidem omnis agitatio exulcerat, deinde ieiunum forbere vini cyathum, cui contrita

COR. CELSI

radix quinq; folij fit adiecta, imponere cataplasma-
ta super ventrem, quæ reprimunt, quod in superio-
ribus ventris morbis non expedit, quotiesq; defi-
dit, subluere aqua calida, in qua decoctæ verbenæ
sint, portulacam vel coctam, vel ex dura muria edis-
se, cibos, potionesque eas, quæ astringunt aluum.
Si vetustior morbus est, ex inferioribus partibus te-
pidum infundere vel ptisanæ cremorem, vel lac, vel
adipem liquatam, uel medullam ceruinam, vel oleū
vel cum rosa buthirum, uel cum eadem album cru-
dum ex ouis, vel aquam, in qua lini semen decoctum
sit, vel si somnus non accedit, vitellos cum aqua, in
qua rosæ floris folia cocta sint. Leuant enim dolorē
hæc, & mitiora vlcera efficiūt, maximeq; vtilia sunt,
si cibi quoq; secutum fastidium est. Themison mu-
ria dura quam asperrima sic vtendum memoriæ pro-
didit. Cibi verò esse debent, qui leniter ventrem de-
stringant, & ea quæ vrinam mouent. Si ea consecu-
ta sunt, in aliam partem humorem auertendo pro-
sunt. Si non sunt consecuta, noxam augent. Itaq; nisi
in quibus promptè id facere consueuerunt, nō sunt
adhibenda. Potui, si febricula est, aqua pura calida
uel ea, quæ ipsa quoque astringat, dari debet, si non
est, uinum lene austerum. Si pluribus diebus nihil
remedia alia iuuerunt, uetusq; iam uitium est, aquæ
bene frigida potio assumpta ulcera astringit, & ini-
tium secundæ uoletudinis facit. Sed ubi uenter sup-
pressus est, protinus ad calidam potionem reuerten-
dum est. Solet autem interdum etiam putris sanies,
pessimiq; odoris descendere, solet purus sanguis
profluere, si superius uitium est, aluus aqua multa du-
ci debet, tunc deinde eodem infundi, quæ supra cō-
prehensa sunt. Valensque est etiam aduersus ulcera
intestinatorum minij gleba, cum salis hemina cōtrita,
si minus, mixta his aqua in aluū datur. Ac si sanguis
profluit, cibi, potionesq; esse debēt, quæ astringant.

De Leuiate intestinorum.

CAP. XVI.

EX torminibus interdum intestinorum leuitas oritur, quæ continere nihil possunt, & quicquid assumptum est, imperfectum protinus reddunt. Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat. In hoc utiq; adhibere oportet comprimentia, quò facilius tenendi aliquid intestinis vis sit. Ergo & superpectus ponetur sinapi, exulcerataq; cute malagma, quod humorem euocet, & ex verbenis decoctis aqua desidat, & cibos, potionesq; assumat, quæ aluum altringunt, & frigus vtetur p̄fusionsibus. Oportet tamē prospicere ne simul his omnibus admotis, vitium contrariū per immodicas inflationes oriatur. Paulatim ergo firmari intestina debebunt, aliquibus cotidie adiectis. Et cum in omni fluore vētris, tum in hoc præcipuè necessariū est, non quoties libet desidere, sed quoties necesse est, vt hac ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. Alterum quoq; quod æque ad omnes similes affectus pertinet, in hoc maxime seruandum est, vt cum pleraq; vtilia insuauija sint, qualis est, plantago, & rubi, & quicquid malicorio mixtum est, ea potissimum ex his dentur, quæ maxime æger volet. Deinde si omnia ista fastidiet ad excitandam cibi cupiditatem, interponatur aliquid minus vtile, sed magis gratum. Exercitationes, frictiones huic quoq; morbo necessariae sunt, & cum his sol, ignis balneum, vomitus (vt Hippocrati visum est) etiam albo veratro (si cætera parum proficient) euocatus.

De Lumbricis aluum occupantibus.

CAP. XVII.

Nonnunquam autem lumbrici quoq; occupant alium, hiq;e modò ex inferioribus partibus, modò sædius ore reduntur. Atq; interdum latos eos, qui peiores sunt, interdum teretes videmus. Si lati sunt, aqua potui dari debet, in qua lupinum, aut cortex mori decoctus sit, aut cui adiectum sit contritum vel hyssopum, vel piperis acetabulum, vel scamoneæ paulum. Vel etiam pridie cum multum allium ederit, vomat. Posteroq;e die mali punici tenues radículas colligat, quantum manu comprehendet, easq;e contusas, in aquæ tribus sextariis decoquat, donec tertia pars supersit. Huc adijciat nitri paulum, & ieiunus bibat. Interpositis deinde tribus horis, duas portiones sumat, aut aquæ, vel muriæ duræ sic adiectæ, tum desidat subiecta calida aqua in pelue. Si verò teretes sunt, qui pueros maxime exercent, & eadem dari possunt, & quædam leuiora, vt contritum semen vrticæ, aut brassicæ, aut cumini cum aqua, vel menta cum eadem, vel absynthium decoctum, vel hyssopum ex aqua malsa, vel nasturcij semen cum aceto contritum. Edisse etiam & lupinum, & allium prodest, vel malug oleum subter dedisse.

De Tenasmo intestinorum morbo. Cap. XVIII.

Est autem aliud leuius omnibus proximis, de quibus supradictum est, quod τένεσμον Græci vocant. Id neq; acutis, neque longis morbis annumerari debet, cum & facile tollatur, neq; vnquam per se iugulet, in hoc æque, atq; in torminibus frequens, desidendi cupiditas est, æque dolor vbi aliquid excernitur. Descendunt autem pituitæ, mucifque similia, interdum etiam leuiter subcruenta: sed his interponuntur nonnunquam ex cibo quoq; recte coacta, desiderere oportet in aqua calida, sepiusq; ip-

sum manu nutrire, cui plura medicamenta idonea sunt, butyrum cum rosa, agacia ex aceto liquata, emplastrum id, quod ~~τερεξ φαρμακον~~ Græci vocant, rosa liquatum, alumen lana circumdatum, & ita appositū, eademq; ex inferiore parte indita, quæ torminum auxilia sunt, eadem verbenæ decoctæ, vt inferiores partes foueantur, alternis verò diebus aqua, alternis leue, aut austerum vinum bibendum est. Potio esse debet egelida, & frigidis, proprior ratio victus talis, qualem in tormina supra præcepimus.

De ventris fluxu, & curatione. CAP. XIX.

Leuior etiam dum recens deiectio est, vbi & liquida aluus, & sæpius, quàm ex consuetudine fertur, atque interdum tolerabilis dolor est, interdum grauissimus, idque peius est: sed vno die fluere aluum sæpe pro valetudine est, atq; etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id conquiescat, purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, vtiliter effunditur, verum spatium periculosum est. Interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viresque consumit, primo die quiescere satis est, neq; impetum ventris prohibere, si per se desistit, balneo vti, paulum cibi capere, si mansit, abstinere non solum à cibo, sed etiam à potione. Postero die, si nihilominus liquida aluus est, æque conquiescere, paulum astringentis cibi sumere, tertio die in balneum ire, vehementer omnia præter ventrem perfricare, ad ignem lumbos, scapulasq; admouere, cibis vti, sed ventrem contrahentibus, vino non multum meraco. Si postero quoq; die fluet, plus edisse, sed uomere etiam ex toto, donec conquiescat. Contra sitim, fame, vomitu niti, vix enim fieri potest vt post hanc animaduersionem aluus non contrahatur. Alia via est, vbi vel is suppressere, cænare, deinde

COR. CELSI

vomere, postero die in lecto cōquiescere, vesperi vngi sed leniter, deinde panis circa selibrā ex vino amineo mero sumere, tū assum aliquid, maximeq; aue, & postea vinum idē bibere aqua pluuiali mixtū, idq; vsque ad quintū diē facere, iterumq; vomere. Frigidam autem assiduē potionē esse debere contra priores auctores Asclepiades affirmavit, & quidem quā frigidiissimam. Ego experimentis quenq; in se credere debere existimo calida potius, an frigida vtatur. Interdum autem euenit, vt id pluribus diebus neglectum, curari difficilius possit, a vomitu oportet incipere, deinde postero die vesperi tepido oleo vngi, cibum modicum assumere, vinum meracū quā asperimum, impositā super ventrem habere cum carato rutā. In hoc autem affectu corporis neq; ambulatio, neq; frictione opus est, vehiculo sedisse, vel magis ēt equo prodest. Neq; enim vlla res magis intestinalia cōfirmat. Si verō ēt medicamentis vtendū est, apertissimum est id, quod ex pomis fit. Vindemiæ tēpore in grāde vas coniiciēda sunt pira, atq; mala siluestria, si ea nō sunt, pira tarentina viridia, vel signina, mala scādiana, vel amerina, myrappia, hisq; adiiciēda sunt cotonea, & cum ipsis corticibus suis punica, sorba, & quibus magis vtimur etiā torminalia sic, vt hæc tertiam ollæ partem teneant, tum deinde ea multo implenda est, coquendumq; id donec omnia quæ indita sunt, liquata in vnitatem quandā coeant. Id gustui non insuaue est, & quodocunque opus est, assumptum leuiter sine vlla stomachi noxa ventrem tenet, duo, aut tria cochlearia vno die sumpsisse, satis est. Alterum valentius genus est, myrti baccas legere, ex his vinum exprimere, id decoquere vt decima pars remaneat, eiusq; cyathum sorbere, tertium quod quandoque fieri potest, malum punicum excuare, exemptisq; omnibus seminibus, membranas, quæ inter ea fuerunt, iterū coniicere, tum infundere

cruda oua, rudiculaq; miscere, deinde malum ipsum super prunâ imponere. Quod dum humor intus est, non adurit. Vbi siccum cum esse cœpit, remouere oportet, extractumque cochleari, quod intus est, edisse, aliquibus adiectis maius momentum habet. Itaq; etiam in piperatum coniicitur, misceturq; cum sale, & pipere, est quid ex his edendum, est pulicula etiam, cum qua paulû ex fauo vetere coctû sit, & lenticula cum malo corio cocta, rubiq; cacumina in aqua decocta, & ex oleo, atque aceto assumpta, efficacia sunt, atq; ea aqua, in qua vel palmulæ, vel malû cotoneum, vel arida sorba, vel rubi decocti sunt, potata, quod genus significo, quoties potionē dandam esse dico, quæ astringat. Tritici quoque hemina in vino amineo austero decoquitur, idque triticû ieiuno, ac sitiēti datur, superque id, vinum id sorbetur, quod iure valentissimis medicamentis anumerari potest, atq; etiam potui datur vinum signinum, vel resinatum austerum, vel quodlibet austerum. Cōtunditurque cum corticibus, seminibusque suis punicum malum, vinoque tali miscetur. Idque vel merum sorbet aliquis, vel bibit mixtum. Sed medicamentis vti, nisi in vehementibus malis superuacuum est.

De Vulvæ morbo, & curationibus. CAP. XX.

EX Vulua quoq; fœminis vehemens malum nascitur, proximeque ab stomacho vel afficitur hæc, vel corpus afficit. Interdum etiam sic exanimat, vt tanquam comitali morbo prosternat. Distat tamen hic cassus, eò quod neq; oculi vertuntur, nec spumæ profluunt, nec nerui distenduntur, sopor tantum est, idq; quibusdam fœminis crebro reuertēs perpetuum est, vbi incidit, si satis virium est, sanguis missus adiuuat. Si parum est, cucurbitulæ tamen desigendæ sunt in inguinibus. Si diutius aut

COR. CELSI

iacet, aut aliqui iacere consuevit, adiuuere oportet naribus extinctum ex lucerna linamentum, vel aliud ex his, quæ fœdioris esse odoris retuli, quod mulierem excitet. Idemque aquæ frigidæ perfusio afficit, adiuuatq; ruta contrita cum melle, vel ex cyprino ceratum, vel quodlibet callidum, & humidum cataplasma naturalibus pubetenus impositum. Inter hæc etiâ perfricare coxas, & poplites oportet. Deinde ubi ad se redit, circumcidendum vinum est, in totum annum, etiam si casus idem non reuertitur. Frictione quotidie vtendum totius quidem corporis, præcipuè verò ventris, & poplitum. Cibus ex media materia dandus. Sinapi super inum ventrem tertio quoq; aut quarto die imponendum, donec corpus rubeat. Si durities manet, mollire commode videtur solanum in lac demissum, deinde contritum, & cera alba, atq; medulla ceruina cum irino, aut seuum taurinum, vel caprinum cum rosa mixtum. Dandum potui etiam vel castoreum est, vel git, vel anetum. Si parum pura est, purgatur iunco quadrato, si verò vulua exulcerata est, ceratum ex rosa fiet, & recens suilla adeps, & ex ouis album misceatur, idq; apponatur, vel album ex ovo cum rosa mixtum, adiecto, quo facilius consistat, cōtrita rosæ puluere. Dolens verò ea sulphure suffumigari debet. At si purgatio nimia mulieri nocet, remedio sunt cucurbitulæ cutæ incisa inguinibus, vel etiam sub mammis admotæ, si maligna purgatio est, subiicienda sunt, coercentia. Id faciunt etiam albæ oliuæ, & nigrū papauer cum melle assumptum, & gummi contrito semine apij liquatum, & cum cyatho passi datum. Præter hæc in omnibus vesicæ odoribus idoneæ potiones sunt, quæ ex doloribus fiunt, idest spica nardi, croco, cinnamomo, cassia, similibusq;. Idemq; etiam decocta lentiscus præstat. Si tamen intolerabilis dolor est, & sanguis profluit, etiam sanguinis detractio apta est,

aut

aut certe coxis admotæ cucurbitulæ cute incisa. Ac cum vrina super potionem modum etiam sine dolore profluens, inaciem, & periculum facit, si tenuis est, opus est exercitatione, & frictione, maximeq; in sole, vel ad ignem. Balneum rarum esse debet, neque longa in eo mora cibis comprimens. Vinum aut sterum meracum, per ætatem frigidum, per hyemem egelidum, sed tantum quantum minimum sit. Infima alius quoque vel ducenda, vel lacte purganda est. Si crassa vrina est, vehementior esse debet & exercitatio, & frictio, longior in balneo mora, cibis opus est teneris, vinum idem. In utroque morbo vitanda omnia sunt, quæ vrinam mouere confuerunt.

De nimia profusione seminis ex naturalibus.

CAP. XXI.

Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus sic fertur, vt interposito spatio tabe hominem consumat. In hoc affectu salutare sunt vehementes frictiones, perfusiones, natationesque quàm frigidissimæ. Neque cibi, nec potio nisi frigida assumpta. Vitare autem oportet cruditates, omnia infantia, nihil ex his assumere, quæ contrahe re semen videntur: qualia sunt, filigo, similia, oua, alica, amyllum, omnis caro glutinosa, piper, eruca, bulbi, nuclei pinei. Neq; alenum est fouere inferiores partes, aqua decocta ex verbenis comprimentibus, ex iisdem aliqua cataplasmata imo ventri, inguinibusque circumdare, præcipueque ex aceto rutam vitare, & ne supinus obdormiat.

De coxarum morbis, & curationibus.

CAP. XXII.

M

Supereſt vt ad extremas partes corporis veniā,
 quæ articulis inter ſe conſeruntur, initium à co-
 xis faciam. Harum ingens dolor eſſe conſueuit.
 Iſq; hominem ſæpe debilitat, & quosdam non dimit-
 tit. Eoque id genus difficillime curatur, quod ferè
 poſt lógos morbos viſ peſtifera huc ſe inclinat, quæ
 vt illas partes liberat, ſic hanc ipſam quoque affectū
 præhendit. Fouendum primū aqua calida eſt, de-
 inde vtendum calidis cataplaſmatis. Maxime pro-
 deſſe videtur aut cum hordeacea farina, aut cum fi-
 cu ex aqua decocta mixtus capparis, cortex conci-
 ſus, vel lolij farina ex vino diluto decocta, & mixta
 cum acida ſece, quæ, quia refrigeſcunt, imponere no-
 ctu malagmata cōmodius eſt. Inulæ quoque radix
 contuſa, & ex vino aſtero poſtea cocta, & late ſu-
 per coxam impoſita, inter valentiſſima auxilia eſt, ſi
 iſta non ſoluerunt, ſale calido, & humido vtendum
 eſt. Si ne ſic quidem finitus dolor eſt, aut tumor ei
 accedit, incifa cute admouendæ ſunt cucurbitulæ,
 metienda vrina. Alius ſi compreſſa eſt, ducenda.
 Vltimū eſt, & in veteribus quoq; morbis efficaciſſi-
 mum, tribus, aut quatuor locis ſuper coxam cutem
 candentibus, feramenti exulcerare. Sed friſtione
 quoque vtendum eſt, maxime in ſole, & eodem die
 ſæpius, quo facilius ea, quæ coeundo nocuerunt, di-
 rigantur. Eaque, ſi nulla exulceratio eſt, etiam ip-
 ſis coxis, ſicut & cæteris partibus adhibenda eſt. Cū
 verò ſæpe aliquid exulcerandum candenti feramen-
 to ſit, vt materia inutilis euocetur, illud perpetuum
 eſt, non vt primum fieri poteſt, huius generis vlce-
 ra ſanare, ſed ea trahere, donec id vitium, cui per
 hæc opitulantur, cunquieſcat.

De genuum doloribus, & cura.

CAP. XXIII.

COxis proxima genua sunt, in quibus ipsis nō-
nunquā dolor esse consuevit. In iisdem autē
cataplasmatīs, cucurbitulisq; præsidiū est,
sicut etiam cum in humeris, alijsve commissuris
dolor aliquis exortus est. Equitare ei, cui genua
dolent, inimicissimum omnium est. Omnes autem
eiusmodi dolores vbi inueterauerūt, vix citra vstio-
nem finiuntur.

De articulorum doloribus in manibus,
pedibusq;e. CAP. XXIIII.

IN manibus, pedibusq; articulorū vitia frequen-
tiora, longioraq;e sunt, quę in podagris, chira-
grisve esse consuerunt. Ea rarō vel castratos, vel
pueros ante fœminę coitum, vel mulieres; nisi quī
bus menstrua suppressa sunt, tentant, vbi sentiri cę-
perunt, sanguis mittendus est. Idenim inter initia
statim factum sępe annuam, nonnunquam perpet-
uam valetudinem totam pręstat. Quidam etiam
cum asinino lotio epoto se eluissent, in perpetuum
hoc malum euaserunt. Quidam cum toto anno ā vi-
no, mulso, venere sibi temperassent, securitatem
totius vitę consecuti sunt. Idq;e utiq; post primum
dolorem seruandum est, etiam si quieuit. Quod si
iam consuetudo eius facta est, potest quidem aliquis
esse securior his temporibus, quibus dolor se remi-
sit. Maiorem verō curam adhibere debent hi, qui-
bus id reuertitur, quod ferē vere, autumnove fieri so-
let. Cum verō dolor vrget, manu gestari debet, dein
de ferri, inambulatione leui se dimouere, & si poda-
gra est, interpositis temporibus exiguis, inuicem mo-
dō sedere, modō ingredi, tum antequam cibum ca-
piat, sine balneo loco calido leuiter pfricari, sudare,
perfundi aqua egelida, deinde cibum sumere ex me-
dia materia, interpositis rebus vrinam mouentibus,

M ij

COR. CELSI

quotiesque plenior est, vomere. Vbi dolor vehemens vrget, interest sine tumore is sit, an tumor cum calore, an tumor iam etiam obcaluerit. Nam si tumor nullus est, calidis fomentis opus est. Aquam marinam, vel muriam duram feruefacere oportet, deinde in peluem conuicere, & cum iam homo pati potest, pedes demittere, superque palam dare, & vestimento regere, paulatim deinde iuxta labrum ipsum ex eadem aqua leniter infundere, ne calor intus destituat, ac deinde noctu cataplasmata caleficientia imponere, maximeque ibisci radicem ex vino coctam. Sin vero tumor, calorque est, utiliora sunt refrigerantia, recteque in aqua quam frigidissima articuli continentur. Sed neque quotidie, neque diu fit; ne nerui laedantur. imponendum vero est cataplasma, quod refrigeret. Neque tamen in hoc cotidie permanendum, sed ad ea transeundum, quae sic reprimunt, ut emolliant. Si maior est dolor, papaueris cortices in vino coquendi, miscendi; cum cerato sunt, quod ex rosa factum sit. Vel cera, & adipis suillae tantundem una liquandum, deinde his vinum miscendum, atque ubi quod ex eo impositum est, incaluit, detrahendum, & subinde imponendum aliud est. Si vero tumores etiam obcaluerunt, & dolent, leuat spongia, quae imposita subinde ex oleo, vel aceto, vel aqua frigida exprimitur, aut pari portione inter se mixta, pix, cera, alumen. Sunt etiam plura idonea manibus, pedibusque malagmata. Quod si nihil superimponi patitur, id quod sine tumore est, fouere oportet spongia, quae in aqua calidam demittatur, in qua, vel papaueris corticis, vel cucumeris siluestris radix decocta sit, tum inducere articulos crocum cum succo papaueris, & ouillo lacte: at si tumor est, foueri quidem debet aqua egelida, in qua lentiscus, aliave verbenae ex reprimentibus decocta sit, induci vero medicamentum ex nucibus amaris, cum aceto tritis, aut ax cerussa, cui

contrita herba, muralis succus sit adiectus. Lapis etiam, qui carnem exedit, quem *καρνοφαγόν* Græci vocant, ex cibus sic vt pedes capiat, demissos eos, cum dolent, retentosq; ibi leuare consuevit, ex quo in Asia lapidi Asio gratia est. Vbi dolor, & inflammatio se remiserunt, quod intra dies quadraginta fit, nisi vitiū hominis accessit, modicis exercitationibus, abstinencia, vnctionibus lenibus vtendum est sic, vt etiam acopo, vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. Equitare podagricis quoque alienum est. Quibus verò articulorum dolor certis temporibus reuertitur, hos ante, & curioso victu cauere oportet, ne inutilis materia corpori supersit, & crebriore vomitu, & si quis ex corpore metus est, vel alui ductione vti, vel lacte purgari, quod Erasistratus in podagricis expulit, ne in inferiores partes factus cursus pedes repleret, cum euident sit omni purgatione, nō superiora tantummodo, sed etiam inferiora exinaniari. Ex quocunque autem morbo quis inualescit si tarde confirmatur, vigilare prima luce debet, nihilominus in lecto conquiescere, circa tertiam horam leuiter vnctis manibus corpus permulcere, deinde delectationis causa quantum iuuat, ambulare circūcisa omni negotiosa cogitatione, vel actione, tum gestari diu, multa frictione vti, loca, cœlum, cibos sæpe mutare. Vbi triduo, quatrduove vinum bibit, vno, aut etiam altero die interponere aquam, per hec enim fiet, ne in vitia tabem inferentia incidat, & vt mature vires suas recipiat. Cum ex toto verò cōualuerit, periculosa vitæ genus subito mutabit, & inordinate ager. Paulatim ergo debebit, omisiss his legibus eō transire, vt arbitrio suo viuat.

M iij